



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 42. Robertus Imperator Constantinopolitanus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](#)

Sæcul. XIII.  
A.C. 1221.

Hoc anno millesimo ducentesimo  
vigesimo primo ineunte, Fridericus Im-  
perator in Apulia versabatur, unde in  
Siciliam delatus, complures Constitu-  
*Ric. S. Ger.* nes Regno utiles edidit. Quia vero &  
tiam de quibusdam Ecclesiis Cathedra-  
libus suo arbitrio decrevit, Papa per li-  
teras conquestus est, in hunc modum:  
*Diu est, ex quo fama ad nos detulit, quod*  
*potestatem tuam ad electionem Episo-*  
*porum extendas, nominatim ad Eccle-*  
*siam Aversanam aliasque in provincia*  
*Salernitana vacantes. An funestum An-*  
*tecessorum tuorum abusum revocare mo-*  
*liris, immemor, quod contrarium Inno-*  
*centio Papæ tuncque nobis jurejurando*  
*promiseris? Hæc Epistola vigesima pri-*  
*ma Augusti data.*

### §. XLII.

*Robertus Imperator Constantino-*  
*politanus.*

Inter hæc Constantinopoli Robertus  
Cortenacensis Imperium consecutus  
fuerat. Cum Jolanda Imperatrix, Pe-  
tro Imperatore Marito suo in vinculis de-  
tento Constantinopolim pervenisset, in  
lucem edidit filium, quem a propinquui  
sui nomine Balduinum amici appella-  
runt, atque anno millesimo ducentesimo  
decimo nono mater fatis functa est. Pe-  
trus

*du Cange*  
*hist. C. P.*  
*lib. 3.*

*Chr. Antis.*

trus vero decebens duos alios filios reli- Sæcul. XIII.  
querat, sed absentes, quare ne Imperium A. C. 1221.  
Duce careret, usque dum Successor pos-  
sessionem arriperet, Optimatibus visum,  
Cononem Betuniensem Praefectum seu  
Vicarium Imperii eligere. Jus Regni  
competebat Philippo Cortenacensi, Co-  
miti Namurcensi, Petri Imperatoris fi-  
lio natu majori, quem Optimates, Le-  
gatione in Franciam adornata, ad coro-  
nam invitarunt; sed ille honorem onus-  
que a se removens, Robertum fratrem  
suum obtulit, qui cum Legatis, anno  
millesimo ducentesimo vigesimo exeun-  
te, iter ingressus est. Is hyeme in Hun-  
garia apud Andream Regem, qui ejus so-  
rorem Jolandam duxerat, transacta,  
postquam Constantinopolim pervenit,  
in Ecclesia S. Sophiæ, in Festo Annuncia-  
tionis, die vigesima quinta Martii, anno  
millesimo ducentesimo vigesimo primo,  
coronatus est a Patriarcha Mathæo Ger-  
vasti Successore. Is antea Episcopus Æ-  
quiliensis in Longobardia, ad Sedem Pa-  
triarchalem Constantinopolim translata-  
tus, officio pastorali haud digne profe-  
sto functus est.

Robertus Imperator Pacta Clerico-  
rum Romaniae, Dominica tertia Adven-  
tus, die decima quinta Decembris, anno  
millesimo ducentesimo decimo nono,  
cum Conone Betuniensi, haud diu post  
defun-

5. ep. 397.

Sæcul.XIII.<sup>m</sup> defuncto, inita, rata habuit. Cujus  
A.C. 1261. Transactionis, præsente Cardinali Le-  
gato Joanne Columnio peractæ, præ-  
pua statuta erant sequentia: Clerici &  
*Honor.lib.6.* *ep. 285.*  
*Roin.n.24.* viri Religiosi tam Latini quam Græci  
cum suis familiaribus, iisque, qui ad Ecclesias configiunt, ab omni Jurisdictione  
Laicorum exempti sint. Omnes Ecclesiæ Cathedrales gaudeant rebus suis  
immobilibus, quas legitima possessione  
tenebant tempore Imperatoris Alexii,  
cognomento *Bambacorax*. Est is Alexius Comnenus ob vocem inamoenam  
ita dictus. Ecclesiæ his bonis libere-  
tantur, exemptæ ab omni Jurisdictione  
Laicorum & ab omni exactione, exce-  
pta *cruſtīca*, id est, Censu. De Deci-  
mis Feudorum singulares constitutiones  
conduntur, sive Feuda sint a Summo  
Principe, sive ab aliis Optimatibus con-  
cessa. De aliis bonis Latini totam de-  
cimam partem solvant, Græci vero so-  
lummodo partem trigesimam per decem  
annos, quibus elapsis, partem decimam  
pendent, nisi Ecclesia Romana dispen-  
ſaverit. Videlicet Ecclesiæ Græco-  
mos non erat Decimas dare. Hæc pa-  
cta a Roberto Imperatore mense Junio  
anno millesimo ducentesimo vigesimo  
primo confirmata sunt.

*V. Cange.*  
*Glos. Cru-*  
*ſtīca.*

§. XLIII.